

ciat, præcipue tamen spiritualibus Monialium profectibus studet providere. Ipsae enim sunt filiae, quæ oblitæ populum suum et domum Patris sui splendore animi coelestem Regem oblectant, ipsae sunt prudentes virgines, quae lampades suas caritatis flamma succensas provide aptantes meliorem partem elegerunt, et dum vitam coelitus petitam ducunt; non modo sibi ipsis ad coelum viam sternunt, sed jejuniis, vigiliis et orationibus caeteris quoque Christi fidelibus eam aperire student. Quare Praepositi et Confessarii ad dirigendos illustriores hos Virginum coetus a Nobis destinati circa Jubilaeum eas instruent, ad preces fundendas aliaque pietatis opera pro Ecclesiae necessitatibus exercenda zelose adhortentur, ipsisque persuadere conabuntur, ut vitae rationem, quae eas Angelis quodammodo aequat, constantissime retineant, ac dent operam, ut sicuti praeclaros hic agunt de carne in carne triumphos, ita post hujus vitae certamina in coelesti Patria coronentur.

¶ **Commo.** Circa visitationes Ecclesiarum Monialibus observandum est. ut hae in interiori Ecclesia vel alibi intra Monasterii septa existentia aut erigenda quatuor altaria processionaliter per 15 dies continuos